

Secundum fuit 176. dies, horæ 0. min. 25. temporis mediocris. Verus Solis cursus in eo 168. gra. 55. minut. Abrahâ autem dixit interuallum primum fuisse 178. dies, horas 6. Et cursum Solis uerū in eo 180. grad. 11. minut. Et secundum interuallum dixit fuisse 176. dies, horam unā, & tertiam unius. Et Solis cursum uerum in eo 168. gradus, 33. minuta. Errauit igitur in tempore interualli in medietate, & tertia, & de-

cima unius horæ ferè, & in cursu Solis in quinta & sexta unius partis. Ex hoc igitur errore prouenire potuit, ut diuersas proportionales eccentricitatis ad semidiametrum eccentrici & semidiametrum epicycli, ad lineam inter centrum mundi & centrum epicycli reperi-

rentur.

Libri quarti Epitomatis finis.

IN CL. PTOLEMAEI

ALEXANDRINI, IOAN. DE MONTE REGIO INSTRUMENTIS nonnullis Astronomicis motus Lunę deprehensionem, & in longitudine, & in latitudine, prosequitur, Habitudo nemq; suam in suis & partibus uariam ad Solem & terram &c. cum diuersitate aspectus perspicacissimæ declarationes,


Liber V.

Instrumentum armillarum componere. Propositio I.



De armille decētis & eiusdem magnitudinis superficie rum lenium, ita primum, sibi inuicē inserantur, ut una uicem eclipticæ, alia uicem coluri solstitorū teneat. In polis eclipticæ, scilicet, in coluro figantur duo clauiculi rotundi, æqualis magnitudinis, ita quod exterius & interius promineant. His superaddemus duas alias armillas. Vnam quidem affixam interius, ut super polis zodiaci uolueretur in clauiculis predictis, ita ut motu facili sua exteriori superficie cōtingat eclipticæ superficiem interiorem. Aliā affixā in eisdem clauiculis exterius ut

super eisdem polis eclipticæ motu facili in predictis clauiculis uolui possit, sua interiori superficie superficiem exteriorem eclipticæ contingēdo. Armilla autem quæ uicem eclipticæ tenet, diuisiones habeat 360. gradus horarum, prout fieri potest per subdiuisiones.



Similiter